



**Disputatio juridica inauguralis de assignatione : quam ...
auctoritate ... Gerardi de Vries ... eruditorum examini subjicit
Henricus Hamelow.**

<https://hdl.handle.net/1874/343820>

42.

DISPUTATIO JURIDICA
IN AVGVSTALIS,
D E

ASSIGNATIONE,

Q V A M

PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicus consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decretò,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

HENRICUS HAMELOW

JUD. AUL. GOTTO RP. ADV.

Ad diem 19 Januarii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academix
Typographi, clc loc xciii.

Generosissimo Excellentissimoque
DOMINO
D. JOACHIMO
AB AHLEFELD,
hæreditario Domino in Buck-
hagen Olpennitz. &c.&c.

Reverendissimi Serenissimique
Ducis Slevico-Holsatichi
Gottorpiensis.

Regiminis Præsidi.
Consiliario Provinciali, intimo,
status & Camaræ.

Præfecto præfecturarum
Reinbeek & Trittow.

Domino meo Gratiostissimo.



Generosissime Domine
Præses.
Patrone gratosissime.

Humani generis salutem civitatis, has legibus & armis defendi, exploratissimum est. Sed uti homo constat animo & corpore; illius tamen imperio, hujus ministerio utitur: ita leges vim suam non nisi per arma efferunt; arma tamen illis obediunt; ususque armorum omnis & cura a legum præscripto pendet. Ex hac legum dignitate quantum commendationis legum scientiae accedat, nemo non videt; Quo minus mirum, tot insignes omnium ætatum gentiumque viros illam appetuisse

petuisse & professos esse. Nusquam tamen major copia, quam apud Romanos, exstitit; adeo, ut eminentissima ingenia de jure enucleando & in melius producendo emulatione quadam invicem certasse videantur. Quo effectum est studio & contentione, ut Romani perfectissimum, & in omne ærum valitatum legum opus considerint; cuius quæ vis & præstantia sit, vel ex eo colligere licet, quod gentes armis Romanis inexsuperabiles, legibus eorum, ut ita dixerim, vici & sese submiserint, illisque etiam nunc regantur. Sed antiquitus, jura profiteri, cuilibet eruditionis fiduciam habenti liberum, interque peritos nullum, nisi ex fama & claritudine studiorum, discrimen erat. Procedente vero tempore, quidam veluti scientiæ gradus fieri cœpere, & ut primo studiosi pro modo profectum variis cognominibus nuncupabantur; ita postea periti, pro eo, quem attigerant scientiæ gradum, diversis appellationibus condecorati sunt; inter quas Doctoris prima fuit. Mox & opinione scientiæ evenit, ut illis, qui eas consecuti erant, solis liceret, jura tam in scholis, quam in foro profiteri: quorum illud per totam Europam, inque omnibus ejus Academiis, hoc in plerisque judiciis, præsertim supremarum Curiarum, adhuc servatur. Quamvis autem posterius hocce in ducatis Slesvici & Hol-

Holsatiae non obtineat , nec quisquam legum peri-
tia instructus & morum probitate spectatus a
causarum patrocinio repellatur : multi tamen cauſſi-
dorum , probata diu in foro & publice scientia ,
sollemnes illos honornm titulos appetunt , ne sci-
licet vicinarum gentium patronis dignitate infe-
riores videantur . Horum exempla secutus , quum
pro more specimen juris hisce pagellis conscripſe-
rim , qualemque id est , Excellentiæ tuæ humil-
lime offero . Clementissimus Dux noster , Genero-
fissime Domine Præſes , meritorum tuorum con-
templatione , Te non tantum confiolorum arbitrum ,
ſed & legum custodem jurisque dispensatorem
ſummum constituit ; iisque partibus , quanta tua
cum gloria fungaris , silentio venerari , quam
impar laudator extenuare malo . Cum igitur ſub
Excellentiæ tuæ præſidio per aliquot annos mihi
licuerit , clientum meorum jura jure tueri , illud-
que explicatis hisce , queis nunc distineor negotiis ,
& deinceps Deo volente facturus ſim , nefas duxi ,
tuis ſine auspiciis Academicum hunc honorem con-
ſequi . Hoc ut publice teſtarer , Excellentiæ tuæ
illuſtre nomen huic libello præfixi . Rogo itaque ,
Patrone gratioſiſſime , exiguum hocce devotionis
meæ argumentum pro incomparabili tua benignita-
te ut accipias , meque digneris , uſque tua com-
plecti gratia ; in qua mihi & ſubſidium & de-

cus & omnia. Deus Ter Optimus Max. Excellentiae tuae annum hunc faultissimum procedere finat, teque nobis servet incolumem quam diutissime, ut reductam per te salutem fortunamque publicam indies magis affirmes, efferasque: æterna celebrandus fama Cimbriæ & instaurator & amplificator magnificentissimus. Ita precatur

Tuæ Excellentiae

Humillimus devotissimusque
Servus

HENR. HAMELOW.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
ASSIGNATIONE.
C A P . I.
De Assignationis nomine.



Uamvis rerum cura potior sit, verborum tamen prior est; cum ad rerum intellectum non nisi intellectis verbis perveniatur: ideoque & mihi ab assignationis nomine initium faciendum est.

§. I. *Assignatio*, sive ut veteres scribebant *adsignatio*, ab assignare est, quod compositum a verbo *signare* & præpositione *ad*.

§. II. *Signare* autem est, rem ita denotare, ut confusa ante cum aliis facile discerni queat: quod fit vel imposito signo, cum plures ejusdem generis res distinguendæ; vel terminorum descriptione, cum res cum aliis contigua separanda. Sic agrum limite signat &c.

§. III. *Ad* in compositionibus plerumque denotat actum ad certam personam seu rem se exserentem.

§. IV. Hinc *assignare* videtur idem esse, quod rem in aliquius gratiam usumve signare.

§. V. Sed apud Latinos hujus verbi, ut multus, ita & varius usus fuit; proprius quodammodo in divisione agrorum ex hostibus captorum inter milites vel colonos.

§. VI. Quin & in jure varie accipitur. Pro translatione Dominii in l. 33. ff. de legat. l. l. 11. ff. de Evict. pro legato in l. 5.

C. de

8 A DISPUTATIO JURIDICA

C. de necess. serv. her. inst. Pro cessione in l. 11. & 14. ff. de dis*pign.* Aliisque multis modis, secundum rei naturam, agentium intentionem & juris rationem, daturque per assignationem nunc titulus, nunc possessio, nunc administratio vel custodia. Prout exemplis ostendit Rebuss. ad l. 107. ff. de *V. S.*

§. VII. Sed in praesentia hujus vocis significationem restringo ad materias juris, quae sibi hoc nomen peculiare vindicant, & in quibus dominii translationem significat, & operatur.

C A P. II.

De Assignationibus in genere.

§. I. **A**ssignatio in genere definiri potest, quod sit *actus demonstrans rem cum voluntate in aliud transferendi.*

§. II. Per actum definio, quia & factio assignari potest. arg. l. 6. 7. 8. C. de donat. Dummodo factum tale sit, quod alienandi animum clare ostendat. l. 53. ff. de R. 7. In dubio enim is non præsumitur. l. 25. ff. de Probat.

§. III. Hinc additur determinative, *actus demonstrans.* Quod verbum significantissimum est, demonstratio enim Philosophis est, cum veritas non per aures, sed oculata fide animis hominum infigitur.

§. IV. Sunt autem hic demonstranda; res, voluntas transferendi, & persona, in quam transfertur.

§. V. Primo igitur de re constare debet. Sufficit tamen certum esse, de qua assignans senserit, quomodounque exprimatur. l. 6. ff. de reb. cred. Lapsus aut error in rei descriptione nil obest. l. 4. C. de testam. l. 35. §. 2. ff. de legat. 3. l. 17. ff. de condit. & demonstr. Cum rei veritas falsa demonstratione non immutetur. l. 5. C. de jur. & fact. ignor.

§. VI. Res non certam speciem tantum, sed & rerum universitatem, ut & jura & actiones denotat. l. 5. l. 6. l. 23. ff. de

I N A U G U R A L I S . 9

ff. de V.S. Non minus enim universitas rerum, quam singulares res assignari possunt.

§. VII. Dein de voluntate transferendi *l. 15. C. de testam.* ideo enim res demonstratur, ut transferatur. Notanda hic differentia inter assignationem & traditionem. Assignatio est tantum declarata voluntas transferendi, adeoque causa traditionis, Traditione vero assignationis effectus. Fieri tamen poterit, ut voluntas illa, vel in ipso actu, vel per actum traditionis demum explicetur. Imo & traditio longe præcessisse ex alia causa potest, & res postea in aliam assignari. Sic pater constitutam filiae dotem, vel donationem propter nuptias filio factam, in locum hæreditariae portionis postea assignare potest. *Mev. adjus. Lub. p. 2. t. 2. a. 13. n. 26. & seg.*

§. VIII. Ultimo de persona, cui assignatur; error in nomine actum non vitiat, si alias constet, de quo assignans senserit. *l. 4. C. de testam.*

§. IX. Actus autem hic quocunque modo expediri potest. Verbis, scriptura, facto: quis enim voluntatem transferendi magis declarat, quam qui re ipsa consulto tradit. *l. 53. ff. de R. J.*

C A P. III.

De Aßignationum divisione.

§. I. Aßignationum genera duo usu celebrantur. Quorum alterum assignatio bonorum, alterum assignatio simpliciter dici consuevit.

§. II. De utraque igitur, quoniam quæque suis constat regulis, separatim agam, & primo quidem de assignatione bonorum.

§. III. Illa autem duplex est. Assignant enim parentes liberis bona mortis causa, & est ultima voluntas quædam; aut non mortis causa, & conventionalis est.

§. IV. Prior est ex jure civili, posterior ex longa consuetudine

10 B DISPUTATIO JURIDICA

tudine & statutis: proinde illam *civilem*; hanc *usualē* seu statutariam vocare liceat.

C A P. IV.

De Assignatione bonorum civili ejusque definitione & objecto.

§. I. **A**ssignatio bonorum civilis, est certa parentum quovis modo declarata voluntas, quid ex bonis quenque liberorum tenere velint, vim supremi judicij habens. l. 20. §. si pater. ff. fam. ercisc. Christin. v. 4. d. 7. n. 6.

§. II. Assignant parentes. Solis enim parentibus instar privilegii concessum, ultimam voluntatem hoc modo inter liberos declarare. Ratio duplex est, leges enim primo presumunt parentes ob affectum & pietatem liberis optime consulturos, dein obsequium liberis erga parentum voluntates injungunt. l. 22. §. 4. ff. adl. Jul. de adult. l. 7. C. de Cur. fur. l. 2. ff. de just. & jure.

§. III. Mater aequae ac pater l. 21. §. 1. C. de testam. jus enim hoc non ex potestate patria, sed ex affectu paterno descendit, qui matri cum patre communis arg. l. 26. C. fam. ercisc.

§. IV. Et quicunque illo nomine continentur. l. 4. §. 2. ff. de in jus vco. l. 51. ff. de V. S. ut ayus & cæteri ascendentis utriusque naturæ l. 21. §. 1. C. de testam. &c quidem, cum per modum testamenti assignatur, generaliter: extra testamentum vero in certum duntaxat casum, de quo infra. c. v. §. 24.

§. V. Liberis. l. 21. C. de testam. l. 26. C. fam. ercisc. excluduntur ergo extranei, & quod illis assignatum cæteris accrescit. Sed an & uxor excluditur? de jure civili utique p. nov. 107. nec enim illo jure uxor mariti simul cum liberis regulariter succedit. Verum in illis oris, ubi uxor marito cum liberis

I N A U G U R A L I S . II

beris æqualiter succedit , adeoque jure liberorum censetur , quid impedit , quo minus & uxori recte assignetur ? Potest tamen & simul extraneis aliquid hoc modo relinquere , si testes adsignationi adhibeantur nov. 107. c. 1. & duos sufficere existimant. arg. l. 12. ff. de testam. Brun. ad d. l. 21. C. eod.

§. VI. Et omnibus , qui nomine liberorum intelliguntur. l. 220. ff. de V. S.

§. VII. Tam emancipatis , quam suis. l. 26. C. famil. ercisc.

§. VIII. Et adoptatis. Habent enim jura successionis simul cum liberis naturalibus & legitimis l. 5. C. de suis & legit. hered.

§. IX. Legitimatis per subsequens matrimonium. Legitimis enim per omnia exæquati sunt. nov. 12. c. 4. nov. 89. c. 8. sed legitimatis per rescriptum non nisi legitima prole deficiente. d. nov. 89. c. 9.

§. X. Naturalibus , & quidem mater simpliciter nisi sit foemina illustris , & legitimos habeat liberos. l. pen. C. ad SC. orfis. pater vero cum distinctione. Aut enim assignat testamento , &c , si legitimos habeat , unam unciam , si ascendenttes , usque ad legitimam his salvam , si neutros , omnia bona naturalibus assignare potest. nov. 89. c. 12. §. 2. & 3. Aut assignat sine testamento , & tunc tantum in eum casum , si alios non habet hæredes , & non nisi duas substantiæ suæ uncias assignare potest. d. nov. c. 12. §. 4.

§. XI. Spuriis mater tantum. Soli enim matri succedunt. l. 2. l. §. ff. Unde cogn. Sed an etiam existentibus legitimis. Sic putant , quia lex non distinguit : tamen videatur l. 5. C. ad SC. Orfis.

§. XII. Assignari possunt bona seu res , quæ possunt alienari. possunt igitur & quædam feudalia. Busius ad l. si filia. ff. fam. ercisc.

§. XIII. Propria. nov. 107. c. 3. imo & aliena. Nec refert , an pater sciverit esse alienam , vel crediderit esse suam. Primo enim casu , quia pater non potest præsumi , filium voluisse ludificari , actus ille ad exemplum rei alienæ legatae ita interpretandus , ac si pater voluerit , filio rem , si redimi

poteſt, vel æſtimationem præſtari. §. 4. *f. de legat.* altero caſu, cum patris rem alienam ut ſuam inter bona communi- rantis certa voluntas fuerit, ut filius partem illam, quam res assignata faciebat, ex haereditate haberet, ſequitur illum quodque voluiſſe, ut bonis imminutis eadem ratio divisionis haberetur. Filius ergo pro ſtatu imminutæ haereditatis tan- tundem conſequetur, quantum dinumeratione facta habitu- rus fuerat, ſi res assignata aliena non fuifet.

§. XIV. Non amplius ſua. Hujus rei exemplum jam ſu- pra. C. 2. §. 7. dedi: hoc tamen modo nil novi juris in filium confeſtur. Imo nec prius immutatur, utpote filio jam quæſitum; ſed ſaltē coarctatur, exclusis per iſtiuſmodi aſſignationem liberis ab ulteriore perceptione e bonis pa- rentum.

§. XV. Omnia, & pro parte. l. 21. C. fam. ercifc. l. 32. ff. eodem.

§. XVI. In partes ſeu uncias, vel per ſingulas res nov. 207. c. 1.

§. XVII. Aequaliter vel inæqualiter. Et quidem uſque ad legitimam, quæ cuique ſalva eſſe debet. l. 8. C. de inoff. teſtam. l. 10. l. 21. C. fam. ercifc. l. 20. §. 5. ff. eod. Commendat tamen nov. 22. c. 48. & Conſt. Leon. 19. parentibus aequalitatem, ut naturali rationi & legibus convenientiſſimam. Si igitur minus legitima aſſignatum, quid juris? Actio ad ſupplemen- tum competit. l. 16. C. famili. ercifc.

C A P. V.

De modo & formis Aſſignationis civilis.

§. I. Aſſignatur quoconque modo. Teſtamento nov. 18. c. 7. Codicillis. l. 39. §. 1. ff. fam. ercifc. &c per di- ſionem, eamque vel ſimplicem nov. 18. c. 7. l. 8. C. de inoff. teſt. vel teſtamento aut codicilliſ confirmatam. l. 39. §. 5. ff. fam. ercifc.

§. II.

§. II. Per modum testamenti sit assignatio, cum parentes liberis cum titulo institutionis absque solemnitate bona a singulis tenenda demonstrant.

§. III. Est testamentum. Quia habet hæredis institutionem. Dicitur autem.

§. IV. Minus solenne. Quia caret solennitatibus testamenti.

§. V. Imperfectum. Ratione scilicet testamenti perfecti & solennis. Non vero ratione sui. Quum in suo genere perfectum sit, quod formam sibi præscriptam, qualisunque illa sit, habet. Multo minus ratione voluntatis. Tale enim nullum esse in confessio est. Hinc patet, quomodo intelligendum sit, quod in l. 26. C. fam. ericis de cæpto & nondum impleto testamento dicitur. Scilicet id de eo accipendum, in quo quædam tantum bona assignata. Quod fieri posse, supra ostensum est. Non autem de eo, in quo pater voluntatem non satis aperuit, quod nullum est.

§. VI. Privilegium, quia hic disponendi inter liberos modus parentibus privilegii instar concessus. l. 21. §. 1. C. de testam. l. 26. C. fam. ericis.

§. VII. Duplex autem est. Scriptum vel nuncupativum.

§. VIII. Scriptum fieri potest, vel cum testibus, saltem duobus l. 12. ff. de testam. non quidem solenniter rogatis l. 11. de test. aper. l. fin. §. 3. in verbis exceptis C. de Codicil. Sed tamen eum in finem vocatis §. 1. f. de mil. testam. etiam foemina arg. l. 20. §. 6. ff. de testam.

§. IX. Vel sine testibus. Sola patris scriptura, Hartm. Pistor. p. 1. qu. 2. n. 6. quod si alias scripsit, ejus vel subscriptione nov. 18. c. 7. generali, id est, non addito in supra posita scriptura ejus voluntatem contineri Carpzov. p. 3. C. 4. d. 18. quamvis non inutile sit, & ne chartæ blancae exceptio opponi queat; hoc addi: vel sola declaratione coram duobus testibus facta, illa scriptura ipsius voluntatem contineri. Hartm. Pistor. d. l. n. 9. quod si de manu parentis dubitatur, res literarum comparatione decidi potest. Menoch. l. 4. pref. 7.

§. X. Nuncupativum coram duobus testibus expeditur.

DISPUTATIO JURIDICA

Neque id solennitatis gratia, sed tantum probationis. Harpr. in §. 3. & 4. n. 206. ff. fam. ercisc. Gail. l. 2. obs. 112. n. 2. arg. l. 16. l. ult. C. famil. ercisc. nov. 107. pr.

§. XI. Ast cum hæredis institutio caput & fundamentum sit omnium testamentorum. §. 34. f. delegat. ea hic sola radiat attenditurque.

§. XII. Ergo liberi qui non instituuntur, nominatim sunt exhæredandi; alias enim, si sui sunt, præteritio testamen-tum patris nullum facit §. 1. f. de Exher. si emancipati, bo-norum possessionem contra tabulas habent. §. 3. f. eod.

§. XIII. Sed matris & avi materni præteritio pro exhære-datione est. §. ult. f. eod.

§. XIV. Denique huic testamento clausula codicillaris in-est. Brun. ad l. ult. §. 1. & 2. C. de Codicil. quæ tamen non supplet ea, quæ circa res & personas per certa voluntatis indicia non sunt expressa Carpzov. l. 6. resp. 7. n. 10. & 11.

§. XV. Codicillis, cum absque hæredis institutione & in modum legatorum assignatur.

§. XVI. Fiunt ad exemplum testamentorum, scriptura vel verbis, qualibuscunque, dummodo probentur.

§. XVII. Sed ex codicillis non succeditur titulo universali, nec hæredes existunt, sed quisque sibi assignata jure legati capit. Nisi fideicommissum universale relictum sit. §. 10. f. de fideic. hæred.

§. XVIII. Per divisionem, quum parentes liberis ab in-testato succedentibus bona distribuunt.

§. XIX. Expeditur per voluntatem quomodocumque de-claratam.

§. XX. Scriptura, & sufficit si a patre vel a liberis sub-scripta sit nov. 107. c. 1. & 3.

§. XXI. Verbis qualibuscunque, dum a liberis agnoscan-tur vel probentur. Mant. de ult. volunt. l. 11. n. 19.

§. XXII. Imo & facto. Perinde enim est, suffragio quis, an rebus ipsis & factis voluntatem declaret. l. 32. §. 1. ff. de legib. Et quidem tale parentis factum ejus voluntatem ita com-mendat, ut in dubium res vocari nequeat. Gilken. ad l. 21. §. ex

§. ex imperf. C. de test. Est autem haec assignandi ratio non insolens in terris Holsatiae & Slevici. Rustici enim qui ætate confecti rebus suis amplius superesse nequeunt, liberis prædia & cætera bona assignant, sibique vel alimenta ad dies vitæ paciscuntur, vel quantum ad victum satis est, e bonis ad mortem usque retinent, quod abnrahme dicitur, parentumque ulteriori dispositioni obnoxium est, in quantum scilicet absque diminutione aut deterioratione prædiorum fieri potest.

§. XXIII. Hoc autem modo tantum liberis ab intestato succedentibus assignatur l. 26. C. fam. ercise. hic ergo non instituuntur hæredes, sed illi, qui ex lege sunt, præsupponuntur. Sunt autem liberi parentum hæredes naturaliter. l. ratio ff. de bon. damn. l. 7. §. fin. ff. und. liber. l. 15. ff. de inoff. test. hinc vivis adhuc parentibus jam quodammodo domini bonorum intelliguntur. l. 11. ff. de lib. & posth. her. inst.

§. XXIV. Exinde sequitur 1. avum parente adhuc vivo nepoti per divisionem assignare haud posse. Brun. ad. l. 26. C. fam. ercise. & omnibus liberis assignandum esse, omnes enim ab intestato pari jure veniunt. Quid si quis præteritus aut oblitus inveniatur? aut omnia bona jam sunt assignata, & cæteris tantum detrahendum, ut huic salva sit legitima. Pinguus enim jus hæres ab intestato, qualis hic est, habere nequit, quam scriptus in testamento habet: qui hæreditate legatis exhausta Falcidia utitur. Aut non sunt assignata & si in his legitima non est, ad supplementum agere potest.

§. XXV. Itaque hæ dispositiones seu assignationum modi quoad formam, parum differunt.

§. XXVI. Communia omnibus requisita sunt 1. ut certum sit, hanc esse patris voluntatem §. 1. inst. de mil. testam. 2. tempus exprimatur, ut in casu duarum dispositionum, quæ posterior sit, appareat. l. 6. §. 2. ff. de Codic. 3. nomina liberorum integris literis scribantur, & 4. unciae seu singulæ res designentur. Nov. 107. c. 1.

§. XXVII. Differentiæ sunt in testamento hæredis institutione, in Codicillis, legatorum relictio, in divisione successio ab intestato.

§. XXVIII.

16 DISPUTATIO JURIDICA

§. XXVIII. Quid ergo si dubiteret, an defunctus testamento, vel codicillis, vel per divisionem assignare voluerit? existimandus maluisse testari, vel dividere, quam Codicilli; quum, absque hærede mori, jam olim infortunii loco habitum sit.

C A P. VI.

De effectibus, fine & mutatione assignationis bonorum civilis.

§. I. Effectus factæ assignationis sunt, 1. ut rumpat omnes dispositiones antecedentes, licet solenne testamentum sit. Carpz. p. 3. C. 4. d. 25. 2. Ut liberi soli bona parentum accipiant. l. 26. C. fam. ercisc. 3. Quod ex illo nunc titulo universali, nunc particulari, prout defuncto visum fuit, succedatur, primo scilicet modo, si per testamentum vel divisionem assignatum, altero, si per Codicillos.

§. II. Hoc discrimine observato agitata inter doctores quæstio, an post assignationem paternam liberi ad evictiōnem invicem teneantur, haud difficulter resolvi poterit. Aut enim assignatio facta liberis ab intestato succendentibus, vel in testamento cum institutionis titulo; & cum utroque modo in universum defuncti jus succedant, & hæredes sint; ad evictionem sibi tenentur. l. 7. C. com. utriusq. jud. l. 25. §. penult. l. 20. §. 3. ff. fam. ercisc. Aut facta est in codicillis seu per modum legatorum, & cum sic assignati particulari jure succedant, non tenentur l. 40. ff. de Evit. l. 45. ff. de legat. 1.

§. III. Finis est, ut liberi bona parentum ex eorum voluntate & voto sine litibus possideant. nov. 18. c. 7.

§. IV. Assignatio facta mutari potest, quia est ultima quædam voluntas l. 20. §. 3. ff. fam. ercisc. voluntas autem hominis ambulatoria est. l. 4. ff. de ademt. legat. ultimarumque voluntatum liber esse debet stylus. l. 1. C. de SS. Eccles. adeo ut nec pacto coerceri aut adimi queat. l. 15. C. de transatt.

§. V.

§. V. Etiam jurata. Jul. Clarus §. de testam. qu. 95. n. 1.
Lex enim nullum voluit inveniri modum, quo liberum te-

standi arbitrium adimi posset. Videatur Christin. v. 4. d. 8. n. 5.

§. VI. Verum cum hic disponendi modus per ultimam vo-
luntatem parentibus respectu liberorum concessus, mutatio
hic non ita facilis, ut in cæteris ultimis voluntatibus; qua-
rum posterior priorem rumpit: quod hic non sit, nisi testa-
tor simul coram septem testibus declareret, se nolle factam
assignationem valere, ideoque aliud testamentum condere
destinasse. nov. 107. c. 2. Brun. ad l. 21. §. 1. C. de testam.

§. VII. Quod si res assignata jam tradita, non videtur vo-
luntas mutari posse, assignans enim rem tradendo, dominium
ejus transtulit, adeoque omne de ea ulterioris disponendi ar-
bitrium, sibi ipsi ademit. l. 1. ff. de donat.

C A P . VII.

De Assignatione bonorum usuali & statutaria.

H Actenus de assignationis bonorum prima specie egimus,
nunc ad alteram transeamus.

§. I. Est autem conventio inter parentes & liberos, ut bi heredi-
tati parentum, accepta certa re, renuncient.

§. II. Et quidem duplex est, aut enim liberis nuptias fa-
cientibus propriamque familiam instituentibus assignatur,
aut tunc, cum altero parente mortuo, superstes ad secunda
vota properat.

§. III. Prior modus abdicatio dicitur; immensum tamen
distat ab illa veterum abdicatione, cuius mentio fit in l. 8. C.
de pair. pot. quamvis enim in utraque a domo & familia paren-
tis fit exclusio, in veteri tamen hoc fiebat a patre irato, &
ob malos filii mores, adeoque cum ignominia quadam l. 132.
ff. de verb. oblig. Sed in hac liberi propter rei familiaris rationes
& domo parentum cum honore & lucro dimittuntur, ab af-

C fectu

fectu parentum & ulteriore liberalitate non omnino exclusi.

§. IV. Sunt tamen, qui & hunc assignandi modum ex legibus Romanis deducunt & tinentur, usi auctoritatibus l. 15. ff. de inoff. testam. l. 3. §. 17. ff. de bon. libert. aliisque.

§. V. Verum cum haereditates jure civili tantum vel ex ultima voluntate vel ex lege deferantur §. ult. s. per quas per cuique acquir. Omniaque circa hanc rem pacta plane damnentur & pro infectis habeantur. l. 52. ff. de pact. l. 16. ff. de suis & leg. her. l. 61. ff. de V. obl. l. 15. l. 19. C. de pact. l. 3. C. de collat. l. 4. C. de inutil. stipul. l. 35. §. 1. C. de inoff. testam. adeo ut quidam putent, ne quidem per obliquum vel indirecto successionem pacto dari. Cothman. vol. 3. resp. n. 13. istam sententiam suis auctoribus relinquo, quem supervacaneum sit, huic assignationis modo vim & robur ex jure civili accersire.

§. VI. Illa enim fundatur in constantissima & ab immemoriali tempore apud plerosque Europæ populos recepta consuetudine. Cothm. d. l. n. 37. 38. quæ consuetudines genuinum jus sunt illarum gentium, quæ moribus olim regebantur, legibusque Romanis saltem in subsidium, & cum consuetudines & proprium jus deficiunt, utuntur.

§. VII. Nec caret illa consuetudo ratione, cum pacta neque vi, neque metu, neque dolo extorta, neque contra bonos mores inita sint servanda: quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter homines placuerunt, servare? l. 1. ff. de Paet. quid vero gravius, quam datam fidem fallere? l. 1. ff. de Conf. pec. quæ cum ob naturalem æquitatem inter omnes homines obtinere debeant, quanto magis inter parentes & liberos, cum hi etiam sine pactionibus ad paterna obsequia obstricti sint. Cothm. vol. 2. resp. 99. n. 22. Conf. Conf. Leon. 19.

§. VIII. Posterior, modus est vel universalis vel particularis.

§. IX. Universalis est, cum parens secundas nuptias ambiens liberis prioris matrimonii, tam loco portionis ex defuncti paren-

parentis bonis debitæ, quam ex viventis sperandæ, certum quid assignat, illi contenti ab omni hæreditate excluduntur. Et re vera emtio venditio est. Speciali vero nomine segregatio appellatur.

§. X. Particularis est, cum parens superstes, propter hereditatem, quæ liberis ex defuncti parentis bonis competit, rem certam assignat, reservato ipsis jure parenti superstite in casum mortis succedendi: & transactio quædam est.

§. XI. Hæ assignationum species statutis duarum florentissimarum Germaniae civitatum Lubecæ & Hamburgi comprobatae sunt: quorum alterum velut antiquius ob celebritatem in multis inferioris Saxoniæ locis dudum receptum, ab altero ut posteriore & emendatiore valde illustratum est. Quum igitur istarum civitatum institutis & moribus, superstes parens secundas parans nuptias, teneretur bona tam sua, quam defuncti conjugis, utpote illo jure communia, cum liberis prioris matrimonii dividere, eumque in finem inventarium bonorum edere, nec vero domesticæ rationes semper permitterent, hoc fieri, tum quod facultates aperire periculose esset, tum quod res & pecunias in mercaturam collocatas salva negotiatione exinde repetrere non possent, tanquam medium evitandæ divisionis & editionis repertum & constitutum est, ut liceret parentibus cum liberis prioris matrimonii pacisci super certa re, seu portione bonorum illis, vel pro solius defuncti parentis vel pro utriusque hæreditate assignanda.

§. XII. Constant autem hæ assignationes omnes ex partium conventione.

§. XIII. Consequens igitur est, esse rem voluntariam; cum omnis conventio non nisi libero contrahentium consenserit ineatur; adeoque nec parentes liberis assignationem obtrudere, neque hos illis extorquere posse. Mev. ad ius Lubec. p. 2. p. 99. n. 69. 70. ad exemplum legitimæ Cothman. vol. 2. §. 99 n. 168.

§. XIV. Est autem ista conventio super hæreditate, ita; ut in vicem ejus liberis certum quid detur. Ergo liberi hic non existunt parentibus hæredes, sed jus succedendi, quod

ipsis naturaliter competebat, accepta certa re, vel pecunia in parentes transferunt. Mev. p. 6. p. 232. n. 1. &c. ergo nec res quæ accipitur, hæreditaria est, sed pretium venditi seu translati juris succedendi. Merv. p. 3. p. 297. n. 8.

§. XV. Datur certum quid. Hoc omnino exprimendum est: sed quænam istius certi quantitas? potest quidem generaliter dici, illam quantitatem, in quam partes consenserent, justam esse; Sed res videtur proprius definiri posse. Distinguendum enim est, an priore modo sit assignatum, & certum est, tunc infra legitimam assignari non posse, arg. l. 25. ff. de inoff. testam. an vero posterioribus modis; & cum ex statutis manifestum sit, quid liberis per divisionem debeatur, quantitas exinde secundum rei circumstantiam determinari & moderari potest.

§. XVI. Hoc igitur ut fieri possit, necesse est, ut facultates & vires hæreditatis liberis sint cognitæ. Tenentur ergo parentes illas aperire. Nec tamen opus est, ut hoc fiat solenni inventario, sed sufficit qualiscunque bonorum descrip-
tio, imo & parentis oretenus facta asseveratio de statu bonorum. Merv. p. IX. d. 37. n. 4.

§. XVII. Assignatum quantum ex patrimonio parentis seu bonis communibus procedere debet per l. 36. C. de inoff. testam. ergo in illud non computanda, quæ liberis aliunde obvenire, & proprio jure debentur. Nil autem refert, an in pecunia numerata, vel aliis rebus consistat. Cothm. vol. 3. §.
17. n. 19.

§. XVIII. Forma harum assignationum non eadem est. Prior modus extrajudicialiter fieri potest. Sed sunt, qui requirunt, ut renunciatio jurato fiat Cothm. vol. 2. n. 99. n. 12. alii tamen hoc tum demum necesse ajunt, cum minus legitima relictum alleg. loc. n. 72. Jure Saxonum vero juramentum non requiritur. Landrecht l. 1. art. 13. Weickbild art. 57. Scurrer. de hered. ab intest. l. 9. fol. 47. Postiores judicialiter ut fiant, præcipit jus Lubecense l. 2. t. 1. art. 31. & 33. quamvis alii hoc ad illum, qui segregatio dicitur, modum restringant, in altero præsentia proximorum cognatorum contenti.

§. XIX.

§. XIX. Effectus sunt 1. ut liberi assignatae portionis domini fiant absque ullo onere hæreditario, Merv. p. 9. d. 37. n. 7.
 2. Ut bonorum communium soli parentes domini fiant, omnesque hæreditariae actiones illis, & in illos dentur. Mev. p.
 3. dec. 297.

§. XX. Finis diversus est.

§. XXI. Communis omnium, ut liberi accepta certa bonorum parte, incertis fortunæ casibus, quæ parentibus post assignationem evenire queunt, non sint obnoxii.

§. XXII. In priore generalis est, ut liberi, dum, quod amplius a parentibus exspectent, non habent, res familiares ex præsentibus facultatibus metantur, & componant. Experientia enim compertum, liberos, dum de facultatibus parentum amplius, quam in his erat, sperabant, suaque interim perdebat, fortunis lapsos.

§. XXIII. Particularis est, respectu familiarum illustrium, ut, filiabus per assignationem modice portionis ab hæreditate parentum exclusis, bonorum summa apud filios permaneat, & per hoc status & dignitas familiarum, quæ in opibus sitæ sunt, conserventur. Cothm. vol. 2. resp. 99. n. 59.

§. XXIV. In modis posterioribus varii sunt, 1. Ut parentes confectionem inventarii & divisionem bonorum declinent. 2. Ne diversæ hæreditates inter se confundantur. 3. Ut parentibus amoribus & blanditiis novarum nuptiarum captis facultas adimatur, ea, quæ liberis, prioris matrimonii debentur, in liberos posterioris conferendi.

§. XXV. Vis factæ assignationis est, ut neutri parti licet, ab illa resilire, altera nempe invita. l. 5. C. de obl. & att.

§. XXVI. Evenit tamen quandoque, ut resolvatur.

§. XXVII. Nam si assignatio in fraudem creditorum facta reperiatur, dispositio. l. 14. ff. quæ in fraud. cred. & l. 2. C. eodem, omnino locum habet.

§. XXVIII. Volunt autem fraudem ex eo colligi, quum parentes majorem bonorum partem, vel res pretiosiores liberi assignant. Wurmser. præf. Obs. l. 38. n. 4. n. 47. Valla de reb. dubiis 12. n. 5. Sed an illa sententia juri conformis sit, merito dubitaveris p. §. 3. Inst. ex quib. caus. man.

§. XXIX.

§. XXIX. Item, si enormissima læsio intervenerit, ad re-
scissionem agi potest. Mev. p. 3. d. 97. n. 3.

§. XXX. Enormis autem læsio censetur intervenisse, si
quis ultra dimidium justæ quantitatis se læsum docere possit.
Mer. d. l. n. 6. justa quantitas in priore modo est legitima. In
posterioribus portio statutaria.

§. XXXI. Sed læsionis enormitas ex quantitate & substantia
bonorum, quæ tempore factæ assignationis fuit, aestimanda.
Cothm. v. 2. n. 99. n. 78.

§. XXXII. Excludit autem hanc actionem legitime facta
renunciatio læsionis. Mev. p. 3. decis. 297. n. 7. l. penult. C. de
paclis.

C A P. VIII.

De Assignatione in specie sic dicta.

Explicatis bonorum assignationibus, supereft, ut de as-
signatione in specie videamus.

§. I. Hoc genus assignationis apud Romanos non videtur
in usu fuisse, in argumentum tamen adducuntur. l. 4. C. de
Evict. l. 26. l. 98. ff. de solut. l. 24. ff. de pignor. act. l. 27. §. 2. ff. de
leg. 3.

§. II. Nostris vero moribus, præsertim apud mercatores,
admodum frequentatur, idque propter ejus commoditatem
& non obnoxiam circumventionibus simplicitatem, prout
ex sequentibus apparebit.

§. III. Est autem conventio inter duos de re, quam alter eorum
tenebatur præstare, ab alio præstanda, priore obligatione usque ad præ-
stationem secutam salva manente.

§. IV. Conventio est, hinc sequitur utriusque partis libera
voluntate fieri debere. Si enim debitor, invito creditore,
aliud pro alio solvere nequit l. 3. ff. sam. ercisc. pr. Inst. quib. mod.
toll. obl. l. 16. C. de sol. Et lib. quanto minus creditori alium de-
monstrare potest, qui ipsius loco solvat, cum ipse ad sol-
vendum paratus occurrere creditori debuisset. Innoc. in c. 7.
x. de pignor.

§. V.

§. V. Credibile tamen est, creditorem non valde repugnatum, cum ipsius caussa per assignationem nullo modo deterior fiat, sed priore obligatione salva a debitore aliis demonstretur, a quo accipiat. *l. 27. §. 2. ff. de leg. 3.*

§. VI. Imo si debitor assignat apud talēm qui vult & notorie potest præstare, dissentire vix potest, cum debitor talēm offerendo ad ulteriora cogi nequeat, *l. ult. §. 1. ff. de Conf. pecun.*

§. VII. Si tamen creditor sciat, illum, apud quem assignatur, non esse solvendo, aut pro assignante non soluturum, & per hoc assignationem inanem fore, justissimam dissentendi caussam habet.

§. VIII. Inter duos ita accipiendum, ut & a pluribns uni, & ab uno pluribus possit assignari, secundum numerum debitorum vel creditorum, ad exemplum duorum reorum.

§. IX. Res ab assignante præstanda, quam tamen ipse præstare nequit, assignationis caussa est. Sed quamvis omni assignationi caussa subsit, illa tamen non exprimitur. Præsumtio enim est, non assignaturum, qui nil debet. Est quippe assignatio species solutionis, quam nemo, nisi qui scit se debere, sit facturus, quum nullus adeo supinus sit, ut facile pecunias suas jactet, & indebitum effundat *l. 25. ff. de prob. & præsumt.* Continet igitur omnis assignatio tacitam confessionem debiti. Hinc post assignationem non queritur, an debatur; sed tantum, an rite assignatum.

§. X. De re a tertio præstanda. Vel exinde liquet, non novam obligationem hic contrahi, sed rem ex prima præstandam per tertium præstari. Fungitur igitur tertius ille vicem assignantis quod ad præstationem tantum, & est aliena solutionis minister. *l. 15. ff. de Conf. pecun. Mev. p. 7. d. 46. n. 3. & 4.* Si ergo assignatus solvit, assignans liberatur, quia ipse solvit, qui per alium solvit *l. 51. ff. de acq. poss. l. 9. C. pact. conv. l. 5. 6. de solut. & liber.* Si non; ipse adhuc tenetur ad rem præstandam, ut & ad interesse non fuisse præstitum a tertio. *l. 14. §. 2. ff. de pec. Conf. Collu. vol. v. resp. 50.*

§. XI. Assignare possunt omnes, qui solvere. Est enim assigna-

assignatio solutio per alium facienda. Solvere autem possunt omnes, penes quos rerum suarum arbitrium & administratio est. Ergo non possunt, quicunque rebus suis ipsi superesse nequeunt. l. 16. ff. de V. O. l. 12. ff. de tutor. & curat. dat.

§. XII. Ut pupillus sine tutoris auctoritate §. 1. inst. quib. alien. ho. l. 14. §. 8. ff. de solut. & liber. Nam si assignatio præjudicet pupillo, potest retractari, & res soluta seu assignata repeti l. 29. ff. de condit. indeb. Cum ejus dominium nihilominus apud pupillum permanisse credatur l. 14. C. de procur.

§. XIII. Minor curatorem habens l. 3. C. de in integr. rest. nisi utiliter assignaverit, conf. Conſt. Leon. 39. Prodigus, cui bonis interdictum l. 12. §. 2. ff. de tut. & cur. datis. furiosus l. 40. ff. de reg. jur. nisi assignaverit tempore intermissi furoris. arg. §. 1. Inst. quib. non est perm. fac. rest.

§. XIV. Assignari possunt res omnes, quæ sunt in commercio. §. 2. Inst. de inuid. stipul. Prout convenit, pecunia, nomen, actio &c.

§. XV. Aliud pro alio, ut pro pecunia, quæ debebatur nomen, nov. 4. o. 3. Sed hoc tunc demum, si aut creditor consentiat, l. 17. C. de sol. & liber. Aut si debitor idem reddere nequeat. Auth. hoc nisi 6. eodem.

§. XVI. Hoc casu tamen diligenter animadvertendum, resne in terminis assignationis permanferit, an vero nomen in solutum datum & acceptum sit, posteriore enim modo debitor liberatur l. 19. §. 1. in fin. ff. de reb. cred. Ratio est, quod in solutum datio emitio venditio quædam sit, qua nomen pro debito venditur. Brun. ad l. 4. C. de Evit. Cumque ita vere interveniat cessio, liberatio sequitur. Cessio enim modus liberationis est. Brun. ad l. 2. C. de nov. & deleg.

§. XVII. Sed quoniam hoc quondam ambiguum, litibus que ansam præbere queat, prudenter fecerit, qui cautelæ loco, assignationem periculo assignantis fore, exprimi curaverit. §. 2. f. mand. l. 47. §. 5. ff. eodem.

§. XVIII. Assignari possunt omnes, qui solvere; debitores, etiam inviti. Brun. ad l. 1. & 6. C. de nov. & deleg. hic enim nil novatur, nec debitoris interest, solvatur ipsi creditori,

an ex ipsius mandato, cum utroque casu liberetur. l. 12. §. 2.
ff. de solut. & lib. non tamen coguntur solvere, ante quam dies
venit.

§. XIX. Etiam non debitores Brün. ad l. 1. & 6. C. de
nov. & del. eos tamen, quos confidimus ad mandatum no-
strum soluturos. Alias enim frustranea eset assignatio, cum
illis liberum sit mandatum seu assignationem non suscipere. l.
17. §. 3. ff. de pignor. att. §. 11. Inst. mandat.

§. XX Assignari potest, quibus solvi.

§. XXI. Ergo non potest pupillo, ceterisque administra-
tionem honorum non habentibus. l. 15. ff. de sol. & liber. Non
enim liberatur debitor, etiam si solutum fuerit, & ob ean-
dem pecunie summam iterum conveniri potest. Habet ta-
men exceptionem doli mali, si solutio in rem pupilli versa §.
2. Inst. quib. alien. lic. vel non.

§. XXII. Forma assignationis in eo consistit, ut ex quo
assignatio inter creditorem & debitorem placuit, hic illi ad
tertium literas det, quaeis iubetur solvere, quibus acceptis,
quod in noui debitoore voluntatis, in debitore necessitatis est,
ille tertius obstringitur ad solvendum.

§. XXIII. Acceptasse autem censetur, qui literis illis non
statim contradicit §. 11. Inst. Mand. l. 1. §. 1. ff. cod.

§. XXIV. Ne autem super eo, an acceptatae sint, contro-
versia nascatur, solet his literis, quum proferuntur, verbum
accepto ab assignato subscribi.

§. XXV. Literis semel acceptatis, si non solvatur, assignatus
assignanti ad interesse tenetur, tanquam suscepto mandato non
consummato. l. 5. §. 1. l. 6. §. 1. l. 8. §. 6. l. 27. ff. Mandat.

§. XXVI. Imo & assignato creditori tenetur; tanquam ex
constituto l. 15. ff. de const. pecun. haber tamen beneficium ex-
cussionis, si non est debitor. Nov. 4. c. 1. l. 7.

§. XXVII. Haec literæ vulgo assignationes vocantur, & non
tantum mandatum de solvendo continent, sed, cum debitor
assignatus, etiam de exigendo, vimque actionis mandatæ
haber. Mer. p. 6. d. 3. n. 4. Sich. adl. 3. n. 4. 5. 6. de nov. & deleg.
Si ergo debitor assignatus solvere detrectat, assignatus cre-

D ditor

ditor illum judicio persequi potest , cum assignans exercitium juris sui in ipsum transtulerit.

§. XXVIII. Concurrunt igitur in hoc negotio quatuor diversa negotia. 1. Necessitas solvendi assignanti ex priore obligatione incumbens , & est causa assignationis. 2. Convention inter creditorem & debitorem , ut ille sibi per alium satisficeri patiatur. 3. Mandatum assignantis ad tertium , de satisfaciendo creditore. 4. Obligatio inter creditorem assignatum & mandatarium solutionis ex susceptione mandati & est Constitutum.

§. XXIX. Effectus assignationis est , ut res seu solutio ab assignante praestanda per alium praestetur. Manet igitur prior obligatio , isque , cui mandatur , minister est alienæ solutionis ; ut supra dictum : cum ergo assignatus non liberatur , nisi solvendo , sequitur eum nec tunc prius liberari , quam minister ejus solverit.

§. XXX. Finis assignationis est , liberatio. Illa vero non statim a facta assignatione procedit , sed demum post praestitam solutionem , adeoque ab eventu solutionis pendet. arg. l. 98. ff. de Solut. & liber.

§. XXXI. Ex ante dictis facile intelligere licet , assignationi magnam affinitatem & convenientiam esse cum delegatione , cessione , cambio. In omnibus enim hisce negotiis , id unum agitur , ut alter pro altero praestet : sic in delegatione substituitur debitor debitori : in cessione nomen cessum subit in vicem rei praestandæ ; in cambio acceptans seu transfans occupat locum remittentis. Sed in hisce tribus casibus , facta substitutione substituens , seu prior debitor statim liberatur , magno sepe cum creditoris periculo & damno , dum vel debitor delegatus inidoneus est , vel nomen cessum non bonum invenitur , vel transfans foro cedit. In Assignatione vero id non evenit ; cum prior obligatio hic maneat salva , usque dum solutum sit , assignatoque creditori contra debitorem semper pateat regressus.

*Exposui breviter, quas assignatio causas,
Quos habet effectus, legitimosque modos.
Plura quidem dici poterant, si cura fuisset
Digerere innumeris sparsa voluminibus;
Sed malui dudum servato more libellum
Scribere; parvus habet commoda multa liber.
Si bonus est, placeatque; magis brevitate placebit.
Non poterit magnum, si malus, esse malum.*



ИНДУСТРИЯ

1. *Quo sitare? quod, nunc in sepe
zolos supponit, nullus sedet non?
nullum enim dicit, manuq; iisib; mchisq; arulq;
; undinimolor; aliusq; circumnumi vengit
nullodil erom circaq; ambob; inlum hor
; nullum ab omnino rapti ruram; et piroq;
ridensq; amicisq; rixam; superatq; de rurisq; is
mulam sibi, mulam q; , murgam tinctosq; no*

